Dissertatio
inauguralis medica
de
Convulsione cereali.

Quam annuentibus
Illustrissimo ac Magnifico Domino Praeside et Directore, ac Clarissimis
D. D. Professoribus,
pro Doctoris medici honoribus rite consequendis,
in Antiquissima ac Celeberrima Universitate
Vindobonensi,
publicae disquisitioni submittit

Philippus Budetzius,
Bohemus Horazdiowitzensis.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis Palatio die . Mensis Augusti 1814.

Viennae,
Typis Caroli Gerold, Bibliopolae Universitatis
MDCCCXIV.

8

Viro

Honestissimo ac Integerrimo

Domino

Andreae Josepho Popper,

Sacr. Caes. Reg. privilegii participi magnario,

summo mihi fautori.

Dexterrime Domine!

Est, cur Tibi gratias referam, summopere causa. Necdum enim abs Te, ubi reapse sum, forem. Ast beneficentiam Tuam minime in ingrato perdideras, experturus, me omnes, quoscumque demum unquam legero, fructus ex Te semper repetiturum, qui taciturno more, uti ante jam plures in alios consueveras, in me quoque, nullo plane monitus nutu, ubi maxime necesse fuit, contulisti paterna manu auxilium.

Quid mirum, fore, ut gratus erga Te animus meus, singulis in aeternum horis incrementa capturus, ne unquam ullo sit adulterandus decremento!

En, quaeso, et noli spernere, quod primum totus Tibi devotus offero praesens opusculum, et connivebis, uti soles, cordis pensitans sinceritatem. Continua favorem et vale!

Prooemion.

Inseparabilis corporis humani cum macrocosmo, praecipue autem illis cum rebus externis, quibus in conservationem vitae indigemus, nexus, diraque naturae lex, qua sancitur, ut omne ens vivum aegritudinibus ac corruptionibus diversissimis continuo expositum esse debeat, non exceptis igitur etiam vegetabilibus, maximam pabuli nostri partem constituentibus, in culpa hujus, de quo agam, aeque ac plurimorum aliorum morborum sunt.

Inter innumeras autem aegritudinum copias, quibus caduca vita humana perpetuo patet, inter numerosissimos illos, quibus animi corporisque infirmo admodum filo cohaerens societas velocissime dirimitur, morbos, assiduos, ut belle ait Lucretius, lethi fabricatores, teterrima ac pestifera, quae sub convulsionis cerealis nomine innotuit labes, certe non ultimum sibi vindicat locum; imo ad exitiosiores merito relegenda sanitatis humanae hostes, quum, paucis victimis haud contenta, plures plerumque festinatis fatis ante diem ocyssime media e vita rapiat homines, pagosque ac integras devastet urbes atque depopuletur, cujus exemplum provinciae Sologniensis incolae, ab antiquis jam temporibus, offerebant tristissimum.

Cerealis hujus morbi succinctam historiolàm, atque decursus, causarum, exituum, therapiaeque, arctis operis academici cancellis restrictam explanationem pro themate seligere placuit, morbi utpote, quem observandi ac tractandi non cuivis quidem medico offertur occasio, attamen vero offeri potest, quum hocce malum, quod a tempestatum inclementia, soli mala conditione, calamitatibusque publicis utplurimum pendet, inopinato et inauspicato caput saepe suum extollat. His enim ex causis laetissima alias fata pestifera evadunt, blandissimumque ex benignae Cereris sinu depromptum pabulum, in crudele convertitur venenum.

Non exiguam, ad praesentis ob-

jecti selectum, symbolam contulit inopia completarum morbi cerealis monographiarum, inter quas illae Leidenfrostii, Hermanni, Tissoti, Linnaei, Taube et Wichmanni primas certe tenent. Fragmenta quaedam classica, summe venerandis in arte viris, Grunero, Frankio et Sprengelio in acceptis referenda habemus.

Quantum per imbecillas vires licebit, periclitabor.

Historia morbi.

Argutissimorum inter priscos naturae observatorum mentem effugere haud potuit, frumenti, farinae ac panis inde confecti qualitatem diversimode vitiatam, annonaeque difficultatem in procreandis morbis variis frequentem sistere causam, quod etiam plurium publica testantur effata.

Julius Caesar a) narrat, Massilienses gravi pestilentia conflictatos fuisse ex diutina conclusione et mutatione victus; panico enim (ut ait) vetere, atque hordeo corrupto omnes alebantur, quod ad hujusmodi casus antiquitus paratum, in publicum contulerant.

a) De bello civili. Lib. II. Cap V. Vide Sprengels pragmat. Gesch. 3 B. S. 114.

Galenus b) ex frumento corrupto et rubigine aut febres pestilentes ac putridas, aut impetigines psoriformes et leprosas (ἐξανθήμασι Ψωρώδεσι καὶ λεπρώδεσι) ortas refert.

Theophrasto denique Peripathetico, candido illo naturae contemplatori, prioribus adhuc antiquiori, morbi frumenti, uti secale cornutum, rubigo, ustilago etc. noti jam fuere c).

Omnia tamen haec nondum nos concludere sinunt, antiquissimis hisce in arte salutifera viris morbum cerealem, prouti ille nobis hodie innotuit, cognitum fuisse, tanto minus, quum phenomena ab illis prolata nullam plane cum hodierna raphania analogiam ostendant.

Atheniensium quoque pestilentiam, atque morbum sub nomine *ignis S. Antonii* in Gallia et quidem praecipue in provincia Sologniensi Anno 945 grassantem, pro alio potius morbi genere, quam pro genuina con-

b) Lib. de febribus. I. 4. p. 110 T. VII.
c) C. Sprengel pragmat. Gesch. 1. B. S. 547.

vulsione cereali cum venerando annis, meritis ac virtutibus sene *Grunero* d) declarare mallem.

Ast clariora hujus morbi vestigia ad finem seculi XVI innotuerunt.

Dodonaei e) observationes de scorbuti specie, post invectionem frumenti corrupti ex Borussia, Anno 1556 in Brabantia late exorta, num ad convulsionem cerealem concludere permittant, decidere non audeo.

Ita quoque Anno 1581 in Ducatu Lüneburgico exitialis saeviit epidemia, quae fere uti hodierna raphania describitur f).

Clarissimum tamen convulsionis cerealis vestigium primum apud Casparum Schwenkfeld g) invenitur, qui de morbo refert summe pernicioso Annis 1588 et 1593 in montibus Silesiacis grassante, atrocissimis do-

d) *Chr. God. Gruneri* morborum antiquitates. Vratisl. 1774 pag. 105.

e) *Dodonaei* medic. observ. exempl. rar. c. 33 pag. 82.

f) *Schenk.* Observ. Lib. VI. p. 830.

g) C. *Schwenkfeld* Theriotrophaeum Silesiae. Lign. 1704 p. 334 et 335.

loribus ac convulsionibus extremitatum stipato, unde nonnullis etiam sensuum privationem mortemque miserrimam promanasse ibidem loci narratur. Causam dirae hujus luis in veneno quodam, frumento admixto, reprehendit auctor.

Ros venenatus, inquit, aut maligna et aërea manna frumentum ita infecit, ut omnes fere homines, praecipue senes, mulieres et infantes, qui ejusmodi depravato vescebantur pane, periverint. Picas coctas ceu princeps antidotum tunc commendarunt.

Anno 1596 ipsissimum hoc malum in Hassia vaste lateque dominabatur. Incepit cum formicationis sensu ingratissimo in extremitatibus, quem spasmi et contractiones artuum atrocissimis junctae doloribus exceperunt. Quandoque et violentus mucosae materiae vomitus sese insinuavit. Epilepsia, Tetanus, Mania, Coma, Caligines etc. has invasiones aut comitabantur, aut sequebantur. Insuperabilis quoque contracta extendendi membra nisus, bulimia, diarrhoea, oedemata et vesicularum pemphigosarum in cute eruptio vix non ad constantiores pertinebat morbi comites.

Medici Marburgenses hujus mali pro contagioso habiti fontem juste in annonae charitate, calamitalibus publicis, specialius autem in pane non sufficienter pisto, in fructibus horaeis immaturis etc. quaesiverunt.

Opposuerunt illi proprium electuarium (Kriebellatwerge) ex remediis purgantibus et stomachicis compositum, propriam denique theriacam, atque pulverem ex antispasmodicis conflatum.

Edicti Facultatis medicae Marburgensis perquam rari, cujus versionem tantum ex scriptis *Horstii* h) novimus, editionem novam incomparabili *Grunero* i) in acceptis referendam habemus. Extractum illius etiam apud *Leidenfrostium* k) *et Wichmannum* l) invenire licet.

h) *Horstii* Observ, med. Lib. III. Part. II. Append. pag. 299.

i) De convulsione cereali epidemica, novo morbi genere, facultatis medicae Marburgensis responsum etc. Auctum per Chr. G. *Gruner*. Jen. 1793. 4.

k) *Leidenfrost*, Diss. de morbo convulsivo epidemico. Duisb. 1771.

l) E. Wichmann, Beiträge zur Geschichte der

Ab illo tempore ad annum usque 1709 (exceptis epidemiis Anno 1648 et Anno 1674 et 1675 in Gallia et Anglia grassantibus, a *God. Buddaeo et Willisio* descriptis) nulla fere mentio pestiferae hujus cladis facta fuit a medicis, quo in Helvetia, Gallia, et quidem praecipue in Provincia Sologniensi alia tamen sub forma duriter saeviebat, magnum, referente *Lemeryo*, ibi ostendens in siccam gangraenam nisum. Paludosum hujus infelicis provinciae solum, inundationes frequentes, paupertas et aerumnae incolarum, atque abundantia clavorum secalinorum et rubiginosorum granorum frumento admixtorum, sanitati horum miserorum incolarum valde infensae sunt, ortuique mali illius epidemici, *Ergot* nominati plurimum favisse videbantur *).

Annis 1716 et 1717 Holsatiam m) et Saxoniam n) invasit, ipsiusque paradisiacae

Kriebelkrankheit im Jahre 1770. Leipz. und Zelle. 1771 S. 30.

*) Sprengel, pragmatische Geschichte der Arzneykunde. 5. Theil. S. 446.

m) *Waldschmid*, Diss. de morbo epid. convulsivo per Holsatiam grassante. Marb. 1717.

n) *Wedel*, Diss. de morbo spasmodico epidemico maligno. Jen., 1717.

Helvetiae incolis non pepercit, pagum praeprimis Lucerninum, Tigurinum atque Bernensem depopulans o).

Anno 1722 in Silesia testante *Vatero* p), atque referente medico *Scrinci* q) in Bohemia Anno 1736 emicuit, secalinis frumento admixtis clavis ortum suum debens.

Epidemicam convulsionem cerealem, quidquam tamen aliter modificatam, annis 1746 et 1754 in pluribus Sueciae locis enatam vidit Botanicorum Coryphaeus, immortalis *Linnaeus* r), cujus originem seminibus Raphani Raphanistri largiori copia fari admixtis adscripsit, illamque ideo pr prio nomine *Raphaniae* insignivit.

1770
Ab anno 1767 ad annum usqu at, s)
in Dania et Holsatia passim occurr Zürch,

o) Zimmermann, von der Erfahrung spas-
1777. 4. Buch, 6. Kap. S. 508.

p) *Vater*, Diss. Obs. selectae de morb modico populari. Witteb. 1723.

q) Satyr. med. Siles. Spec. IV. p. 48. sal.

r) *Car. a Linné*, Diss. de Raphania. L t
1763.

s) Berichte und Bedenken die Kriebelkrank betreffend ꝛc. Kopenh., 1772.

quam ipsissimo hocce ac futuro anno 1771 excepit funesta illa epidemia in Ducatu Lüneburgico vaste saeviens, a Celeberrimo *Wichmann* t) et *Taube* u) egregio descripta calamo.

Ab illo tempore nullius amplius solemnioris epidemiae mentionem faciunt recentiores medici, utut hodieque minus tamen exitialis observetur, minusque ob severiorem politiam medicam sese expandere valeat, brevi plerumque tempore suffocatura. Sic et illa Anno 1802 in Austriae quibusdam locis emicans epidemia mox exstinguebatur.

Synonimiae.

divMorbus, de quo sermo, cerealis, sub ritisis apud medicos occurrebat occur-
e nominibus.

I *Raphaniae* nomen summe vulgare a *neo* sortitus est, qui Raphanistrum pro

t) *E. Wichmann*, Op. cit.

u) J. Taub., Geschichte der Kriebelkrankheit ꝛc. Gött. 1782.

principe agnovit causa v). *Sennerto* x) *febris maligna cum spasmo*, *Roeddero* y) *morbus spasmodico putridus* dicitur. Morbus antiquioribus sub nominae *ignis S. Antonii* veniens si non idem summe tamen huic malo cereali analogus est.

Apud *Sauvages* z) sub nomine *Eclampsiae typhodis*, *Convulsionis raphaniae*, *et Necroseos ustilagineae* occurrit. *Baldinger* a) *convulsionem cerealem*, *et Plouquet* b) *Myrmecismum toxicum* seu *cacotrophicum*, formicationem scilicet ex pravo victu nominat, quae duae expressiones mihi aptissimae videntur, quum symptoma praevalens unacum causa excitante includant. Germanis dicitur Kriebelkrankheit (a formica-

v) *Linnei* Amoenit. acad. T. VI. Upsal 1763.

x) Lib. de febribus IV. 16 p. 562.

y) *B. W. Rödder* über die Kriebelkrankheit. Frankf. und Leipzig 1772

z) *Fr. Boissier de Souvages* Nosologia methodica. Amste. 1768.

a) *Baldinger*, Progr. secale cornutum perperam a nonnullis ab infamia liberari. Jen 1771.

b) *Ploucquet* Systema nosologicum. Tubing. 1792. T. II. p. 288.

tionis sensu), Kornstaupe, Krampfsucht, Krümpfsucht, Krummerjammer.

Descriptio morbi.

Morbus convulsivus, consistens in artuum spastica contractione, formicatione sub cute ac stupore, doloribusque articulorum terebrantibus, ex proprio oriundus toxico, sub nomine *convulsionis* aut *formicationis cerealis* (Kriebelkrankheit) mihi venit.

Clarior autem idea atque uberior descriptio pandi ut possit, duplicem hujus morbi quoad decursum speciem, *acutam* scilicet et *chronicam* distinguere oportet.

Convulsio cerealis acuta quandoque absque ullis prodromis invadere solet, plerumque tamen praecursoria quaedam observantur phenomena; vertigo nimirum, sensuum obnubilatio, temulentia, artuum tremores ac dolores, symptomata denique gastrici systematis laesi varia, uti nausea, dysphagia, cardialgia atrox, vomitus materiae biliosae, corruptae, fuscae aut atrae. Validus tum insequitur horror, quem ardentissimus excipit aestus, in visceribus

praecipue abdominis tantus quandoque, ut intolerabiles anxietates, deliria furiosa summamque desperationem inducat, tantalea plerumque siti stipatus.

Adoriuntur modo miserrimos alioquin jam aegros convulsiones vehementes, quae mox veram mentiuntur epilepsiam, mox in rigidissimum degenerant tetanum. Formicationis ingratissimae sensus percipitur quammaxime in dorso et abdomine, qui tamen saepe etiam deest. Oculi torvi evadunt, oblique tuentes, cum aspectu truci; pupilla coarctata cernitur. Lingua arida fit et scabra, luridoque obducitur vernice. Maxillae inferioris violenta ad superiorem adpressio, stridorem dentium, atque non raro linguae interpositae morsum producit.

Respiratio evadit quaerula, anxia, gemebunda. Laeditur circulus sanguinis, unde cordis palpitationes, atque pulsus valde contractus, saepius intermittens.

Spasmorum supra omnia fere organa latissimam expansionem demonstrant quoque vomitus cotinuans, cardialgia, urinae, alvi sudorisque retentio, nisi anxietates

summae viscidos frigidosque exprimant sudores.

Continuant sub hoc rerum statu atroces extremitatum spasmi, quae mox contractae, mox antagonistice extensae cernuntur, cum intolerabili membra contracta extendendi, extensa contrahendi nisu.

Decrescente quidpiam mali saevitia, debilitas insigniter augetur, aliaque iterum evolvuntur symptomata.

Animus aegrorum summopere adfligitur, facies evadit hippocratica, pallida; pulsus labitur. Sensus tum externi, tum interni diversimode hallucinari ac hebetari incipiunt, unde questus continui de syrigmo, dysecoia, scotomia, vertigine, dysmnesia. Frequentiora quoque deliria animique deliquia sunt, quae omnia sensorium commune graviter adfectum denotant.

Membra convulsionibus detenta stupore tandem adficiuntur (myonarcosis)' et paralytica fiunt.

Morbo ad finem vergente inferiores

intumescunt extremitates; exsurgunt petechiae anthracibusque similes tumores. Extremitatum extrema, digiti scilicet, lividi ac gangraenosi fiunt, omni sensu et motu privantur. Haec gangraena non solum ad contiguas ultro serpit partes, sed et profundiora petit, ita, ut septimo aut octavo die, antequam mors ipsa vitae finem imponat, integra membra necrosi correpta, unacum ossibus a vivo adhuc separentur corpore, atque miseri aegri citam mortem vitae huic mille omnino mortibus deteriori praeferant.

Convulsionem cerealem chronicam vix non totius corporis, artuumque gravitas insignis, per plures quandoque molestans septimanas praecedit, quam dein excipit formicationis ingratissimae sensus, si non per totum corpus, per plures tamen extensus partes, extremorum digitos quammaxime occupans, dolore insimul pruriente interdum junctus, remittens quidem, post paucas vero horas iterum rediens, in stuporem ac anaesthesiam partium perfectam non raro degenerans. In linqua, quae spastice contracta tunc cernitur, dolentissima esse solet formicatio. Hunc myrmecismum

comitantur quoque dolores capitis, dorsi, artuumque tanti, ut aegri sub clamore ex somno expergefiant, aut vigiles integram noctem transigere cogantur.

Invadunt modo convulsiones vehementes dirissimis semper omnem somnum arcentibus doloribus stipatae, sub diversissimis apparentes formis. Spastice contrahuntur manuum peduumque digiti, ita, ut extendi nullo possint modo, praesente tamen summo ad extensionem nisu, unde molestissimae nascuntur anxietates. Serius etiam metacarpi et cubitus, tarsi crurumque tendinibus spasticae hae communicantur contractiones sub maximo dolore et extremorum vaccilatione, omnem motum gressumque impediente, unde magna, praesente hoc rerum statu, convulsionis cerealis cum *Beriberia* aut *Chorea S. Viti* analogia c).

Non raro etiam vere epileptici observantur insultus cum totius corporis violenta concussione sensuumque abolitione.

c) *J. E. Wichmann's* Diagnostik. 1 B, pag. 79 et seq.

Ubi magis tonicam spasmi assumunt indolem, mox tetanum partialem, emprosthotonum aut opisthotonum, mox et universalem, *Galeno* holotonicum dictum repraesentant.

Clonicae musculorum faciei, orbicularis praecipue oris contractiones, distorsiones faciei varias, masseterum vero spasmus, trismum, dentiumque ingratissimum stridorem producunt.

Ipsa respirationi dicata organa spasmodicis adfectibus diversimode exagitantur. Inde aegrorum continuae querelae de dyspnoea, anxietate, anhelitu etc., quae tamen symptomata largo prius sudore oborto brevi iterum remittere solent.

Spasmodicam testium ad anulum abdominalem adtractionem Cel. Professor *Hildenbrand* vidit.

Has et plures similes innumeras fere morbus hicce summe proteiformis ludit scenas, nunquam tamen uno tenore urgentes, sed manifeste remittentes iterumque exacerbatas; quae undulationes ex natura

spasmi cujuslibet certum semper typum servantis facile concipi possunt.

Singulae exacerbationes, quas semper formicationis sensus orditur, per unam alteramve durare solent horam, sudore ac somno terminantur, atque bis terve de die non raro redeunt. Relinquunt plerumque torporem ac anaesthesiam insignem. Nihilominus tamen et remissionum tempore convulsiones leviores gressum impedientes continuant.

Quo diutius morbus excurrit, eo magis exacerbationes extensionis seu durationis respectu increscere, remissiones econtra abbreviari, certissimis observationibus constat.

Caetera terribilem huncce morbum concomitantia phenomena sunt: temulentia capitis et carebaria continua, mens plerumque periculi inscia et serena, nisi convulsionum vehementia ac dolorum atrocitas deliria inducat, epistaxis, rarius sputum cruentum; adpetitus (quod mirandum) aut naturalis, aut in junioribus praecipue subjectis, morbose auctus (bulimia), sitis

inexplebilis, sensus ponderis in srobiculo cordis, dysphagia, pyrosis molesta, ructus acidi, vomituritiones, vomitus materiae mucosae, cardialgia; sensus frigoris in abdomine aut dorso molestus, vermium, lumbricorum scilicet aut trichuridum vel per vomitum, vel per alvum cum levamine secessus, dolores colici, excretio alvina naturalis, quandoque tamen diarrhoica, foetida, urina limpida, rarius turbulenta.

Physiognomia horum aegrorum lugubris plerumque esse consuevit, et desperabunda, facies rugosa, livida, loquela balbutiens cum voce debili; pupilla notabiliter dilata (praecipue remissionis tempore). Pulsus, sub maximis etiam convulsionibus, immutati, nec febris quaedam indicia.

Facile quisque intelliget, in rarissimis nonnisi ac desperatissimis casibus omnia haec ennarrata symptomata simul adesse, sed jam medietas imo et minus sufficit ad malum sat grave constituendum.

Tali ratione morbus per plures septimanas, imo menses excurrit, donec (si ars debitis auxiliis non opituletur) viribus sen-

sim sensimque exhaustis, membra adfecta paralytica evadant. Omnis in illis aboletur sensilitas ita, ut etiam a vehementioribus illatus violentiis dolor non percipiatur, persistente tamen plerumque (quod mirum) motu aliquo voluntario. Cutis fit rugosa, livida; epidermis totius fere superficiei in gangraenosas elevatur vesicas, aut tumores anthracibus similes (referente *Roeddero et Wichmanno*) hinc inde propullulant, atque copiosis serius clanculum secedentibus foecibus, mors exoptata omnibus miseriis colophonem addit.

Minus constantioribus morbi in mortem terminantis phenomenis merito adhuc adnumeranda est *necrosis* partium diversarum. Extremitatum tum superiorum tum praecipue inferiorum convulsionibus prius detentarum partes extremae omni sensu omnique sensim vita privantur, donec emortuae ac sphacelosae, aliquamdiu ligamentis tendinibus nondum dissolutis adhaerentes, per frustra vivo adhuc corpore separentur ac sponte decidant, mortem effrenatam inducentes.

In epidemiis Germaniae provincias de-

vastantibus rarius observabatur; multo frequentius vero in Gallia, ubi ad constantissima pertinuit symptomata; quapropter etiam plurimi auctores morbum Gallis *Ergot* dictum a convulsione cereali diversum statuunt *).

Veteres universim hujus phenomeni frequentiorem mentionem faciunt ac recentiores.

Causae.

Dispositiones peculiares in convulsionem cerealem non observantur, quae in omni homine, in tenero infante aeque ac in decrepito sene data causa occasionali exoriri potest. Indispositiones tamen in quibusdam subjectis animadvertere licuit, ita, ut iisdem momentis causalibus expositorum nonnulli morbo hoc adficerentur, alii vero nec minimam molestiam experirentur, cujus ratio in diversa virium digerentiam energia, atque in praevalente factoris mox positivi mox negativi potentia latere videtur.

*) Mem. de l'Academie des scienc. à Paris Anno 1748. p. 528.

Pauperes milites, incarcerati etc. in tantum magis dispositi cernuntur, in quantum causis occasionalibus, uti calamitatibus publicis ex obsidione, tumultu bellico, annonae charitate, aerumnisque variis propter rerum angustiam multo saepius et citius exponuntur, ac in quantum vires illorum digestrices multo languidiores, potentias nocivas superare non valeant.

Minime dispositi sunt infantes, imo plane indispositi dici possunt, quum nonnisi materno nutriantur lacte.

Ad excitantes causas pertinent vegetabilium pro pabulo inservientium, et quidem quammaxime frumenti, farinae, panisque inde confecti qualitates pravae, quo remotiori intuitu conferunt, tempestatis inclementia, calamitates publicae, annonae difficultas, bellum, obsidiones, paupertas, politia debitis adminiculis non succurrens, pluraque alia momenta ignota.

Praecipuae frumenti, farinae panisque qualitatem vitiantes, atque convulsionem cerealem legitimam aut analoga saltem mala inducentes causae sunt: *secale cornu-*

tum, rubigo, ustlago et caries granorum, ros mellitus, semina diversarum plantarum farri admixta, *farinae panisque corruptiones variae.*

Secale cornutum seu *corniculatum, clavus secalinus, secale luxurians, abortus,* (ἧλοσ *et* μύκησ Theophrasti; Gall. *Seigle ergoté, Ital. Grano ghiottono,* Germ. Mutterkorn, Kornzapfen, Vogelsporn, Todtenkopf, Steinbrand) est illud secalis vitium, quo grana ad magnitudinem duplam aut triplam excrescunt, ungulam avium repraesentantia. Ab initio foetente ac viscido obducta sunt muco, qui, dum exsiccatur ab aëris adflatu, in pulverem dafatiscit inodorum, violaceum aut nigrescentem. Saporem haec grana, quorum nunquam omnia sed nonnisi duo, tria quinque, septem vel ad summum duodecim in eadem spica degenerata observantur, ostendunt ab initio dulcem, qui autem serius in acrem ac urentem transit d).

Internam substantiam constituens pol-

d) *Nebel*, de secali cornuto ejusque noxis. Giess. 1771.

len albi quidem coloris est, pani tamen violaceum conciliat.

Farina ex degeneratis hac ratione frumenti granis parata caerulescentis aut subcinerei est coloris, ingratumque spargit foetorem, qui fere intolerabilis evadit, si farina haec aqua eluatur.

Genesi hujus granorum secalinorum morbi, qui etiam in tritico et hordeo, ast rarius observatur, favent: aestas humida et frigida in regionibus praecipue frigidioribus, solum humidum, et aliae causae ignotae; juxta nonnullos aestas quoque humida et callida e).

In provincia Sologniensi creberrime observabatur.

A quibusdam medicis pro producto insectorum habetur. *Lentinus* f) et *Schroeder* g) secale cornutum a scarabaeo solstitia-

e) Kircheisen's Beobacht. über das Mutterkorn und dessen Entstehung. Altenb., 1800.
f) J. F. B. Lentin Beobacht. einiger Krankheiten., Gött. 1774.
g) *Schroeder* Bemerkungen über das Mutterkorn. Rinteln, 1792.

li oriri contendit, quod tamen decidi nequit, utut saepissime animalcula in clavis secalinis nidulantia observentur. Ita *Lang* in meditulio plerorumque granorum vermiculum exiguum vix-distinguibilem animadvertit. *Roffredi* denique, *Fontanae* et *Abildgardii* observationibus certiores facti sumus, secale corniculatum vibriones continere, quales in aceto et glutine deprehenduntur; Hi autem potius effectum processus chemici proprii in degeneratis granis obtinentis, quam causam horum sistunt.

Mixtionem vero chemicam in clavis secalinis manifestissime immutatam ostendit defatiscentia totius fere substantiae in speciem pollinis, evolutio acredinis propriae, imo proprii principii venenati, atque consumptio collae vegetabilis, unde fit, panem ab ejusmodi farina paratum facillime diffringi, ac omni vi nutriente privari.

Medicorum multi noxias ac venenatas secalis cornuti vires in dubium vocare voluerunt, omni fervore defendentes convulsionem cerealem nunquam ex secali

cornuto, sed semper ex aliis causis oriri. Huc pertinent *Schleger* h), *Leidenfrost* i), *Model* k), *Eschenbach* l), *Titius*, *Boehmer* m), *Kircheisen* n) etc. illorumque princeps *Rud. Vogel* o).

Omnia tamen ab illis prolata argumenta non sufficiunt ad venenatas secalis cornuti vires excusandas, quae proh dolor! a fide dignissimis experientiae castae cultoribus confirmatae fuerunt.

Verum quidem est, secale cornutum antiquissimis notum fuisse medicis, (uti

h.) Schleger, Versuche mit dem Mutterkorn. Cass. 1770. 4.

i.) In den Duisburger Anzeig. St. 47. seq. 1770. et St. 1. 1771.

k.) Model's Untersuch. des Mutterkorn von Zeiher. Wittenb. 1771.

l.) Eschenbach Bedenk. von der Schädlichkeit des Mutterkorns. Rost. 1771.

m.) *Boehmer* in Diss. de Constitut. epidem. Halae ad Salam inque ejus confin. Anno 1771—72 observata. Sect. I. §. 2. et Sect. II Praef.

n.) Loc. cit.

o.) R. Vogel Schutzschrift für das Mutterkorn als einer angeblichen Ursache der Kriebelkrankheit. Gött. 1771.

Theophrasto Peripathetico), quin cerealis convulsionis mentio facta fuerit; verum est, plures epidemias similes ex aliis causis ortas fuisse; verum denique est, secale cornutum saepius sat larga copia sine detrimento ingestum fuisse. Omnia tamen haec nondum demonstrant secalis cornuti innocentiam p); ad summum indigitant secalis cornuti turpitudinem non semper et ubique tantam esse, ut convulsioni cereali aut alii malo producendo par sit. Sic secale cornutum diu adservatum, vim suam toxicantem et narcoticam amittit q), atque nonnisi in tantum noxium est, in quantum non nutrit. Sic si bene exsiccetur et torrefiat farina tali modo vitiata, antequam in usum trahatur, si parva nonnissi copia bono admixta fuerit farri, et si alio praecipue animali insimul vescantur homines cibo, funesti effectus non observantur r).

Imo qua remedium contra hystericas

p.) *Baldinger*, Pr. Secale cornutum perperam a nonnullis ab infamia liberatum. Jen. 1771.

q.) Memoir. de l' Acad. des sciences. Année 1740.

r.) P. Frank Med. Polizey. 3. B. S. 211.

affectiones egregium, a vetulis adhibitum fuisse secale cornutum *Lonicerus* s) refert.

Si vero recens est, magna copia farri admixtum, deficiente praecipue et alio victu bono, absolutum fere sistit venenum, quod non solum hominibus, sed etiam pluribus animalibus t), a quibus sub maxima fame, proprio repuditur instinctu u), infensissimum est, atque convulsionem cerealem in pluribus locis late saevientem produxit. Hoc testantur *Baumer* v), *Le Sage* x), *Nebel* y), *Lange* z), *Tissot* a), *Wichmann* b), *Taube* c), aliique plurus.

s.) *Ad. Lonicerus* vollständ. Kräuterbuch. Frankf. 1572. 2 Th. 370 Kap.

t.) *Thessier* (L' Abbé) Traites des maladies de grains. Paris. 1783.

u.) Memoire de la Societé Roy de Medicines. Anno 1777. 88 p. 587.

v.) Politia medica. §. 61. p. 50, 54.

x.) Götting. gelehrte Anzeig. 1777. Zugabe 31. St.

y.) Oper. citat.

z.) N. Lange. Beschreibung der Krankheiten, die vom Genuß des Mutterkorns entstehen. 1717.

a.) Tissot, Nachricht von der Kriebelkrankheit. rc. A. d. Franz. Leipz. 1771.

b.) Oper cit.

c.) Oper cit.

Aliam formicationis cerealis causam sistit *Rubigo*, (Ἐρυσίβη Theophr. Gall. Rouille, Roſt,) pulvis scilicet viscidus, ex flavo ruber aut nigrescens, qui culmum et glumas diversorum graminum obsidere solet. Grana inde sensim arroduntur, ac tandem ex integro consummuntur, ita quidem, ut tota quanta in crassum flavo-rubrum convertantur pulverem.

Panis ex frumento rubiginoso paratus saporem ingrate amarum acquirit.

Hoc frumenti vitium, prouti jam dictum, veteribus abunde notum fuisse, ex Theophrasti denominatione propria luculenter patet, confirmaturque, quoniam Romani Numae jussu Deam Robiginem adorarunt, cujus in gratiam, ut ab hocce malo arceat frumentum, omni anno festum *Robigaliae* celebratum, atque plures catuli mactati fuere d).

Nonnulli rubiginem pro insectorum

d). *Ovid.* Fast. IV. 911.
„Aspera Robigo parcas cerealibus herbis!“
Et
„Hinc mala Rubigo Virideis ne torreat herbas
Sanguine lactentis catuli placatur et extis.“

producto, recentiores vero (quod veritati magis accedere videtur) pro mucoris aut fungi specie (Kugelschwamm) declarant. *Persoonio Puccinia graminis* vocatur e).

Ustilago (σφακελισμος Theophrasti, Gall. Nielle, Germ. Brand.) diversus a priori est frumenti morbus, quo grana, praecipue tritici (huic vitio maxime obnoxii) nigro ac valde foetente referciuntur pulvere f). Sed et grana secalis, hordei, avenae, milii, ustilagine non raro corripiuntur.

Quandoque ab extus nihil conspicitur morbosi, qui levior ustilaginis gradus Gallis *Charbon* (Karfunkel) vocatur. Quandoque autem jam externa superficies nigrescens, internam grani corruptionem prodit, qui altior ustilaginis gradus, *Caries* (Fäule) dicitur g).

Farina inde parata nigrescentem colorem, amarumque ostendit saporem, prouti etiam panis inde confectus, qui omni vi nutriente ac plastica Destitutus est.

e) *Persoon* Synopsis fungorum.

f) *R. Cammerarius* Diss. de ustilagine. Tub. 1709.

g) *Tissot* Loc. cit. p. 20 et seq.

Genesi ustilaginis aestas valde sicca praeprimis favet.

A recentioribus medicis et physiologis pro fungi specie (*Uredo* vocata) habetur *). Veros esse gastromycetas cum *Linkio* persuasum habet *Sprengel*, licet *Fourcroy* nuper corruptam esse ferinae partem pronunciaverit.

Negarunt et horum duorum frumenti morborum in procreanda formicatione cereali efficaciam medicorum multi, praecipue autem *Sarcone* h). Aliorum tamen observationes castae contrarium docuerunt. Etenim ubicunque Annis 1770. et 1771. praecipue in Holsatia convulsio cerealis grassabatur, rubiginosa aut ustilaginosa grana frumento admixta deprehendebantur.

Verum quidem est, rubiginosa grana non semper raphaniae inducendae paria esse; id vero de farina solummodo valet per longius temporis intervallum adserva-

*) *K. G. Rafn* Danmarks og Holsteens Flora. Kiopenhavn. 1796. D. I. p. 307.

h) Sarcone, Geschichte der Krankheiten, die durch das ganze Jahr 1764. in Neapel sind beobachtet worden. II. Th. S. 291.

ta, quae tunc vires suas venenatas aut pro parte, aut ex integro amittit. Farina denique polline ejusmodi rubiginoso aut ustilaginoso inquinata, parva nonnisi copia ingesta, interpollato insimul et alio victu, prae ipue animali i), minus deleterios omnino edet effectus.

Majori vero copia, ac recens ingesta ad generandam convulsionem cerealem aeque symbolam suam conferre valet k), ac ad alia dira mala producenda, quod quidem immortali medico *Pergameno* l) jam notum fuit; qui pestilentiales et ac putridos morbos inde natos vidit. *Plenitsch* malignam febrem ex usu farinae simili modo depravatae ortam refert.

Ros mellitus seu *melligo* (ῥοάς Theophrasti, Honigthau) a multis medicis pro vulgari convulsionis cerealis causa declaratur. Imo non deerant tales, qui ipsius secalis cornuti vires venenatas melleo huicce

i) Frank. Med. Polizey. 3 B.

k) Tode, med. chirurg. Bibliothek. I. B. 1 St. S. 156.

l) *Galenus* de different. Febr. Lib. I. p. 322.

rori illud saepe obsidenti adscribere voluerunt m). Inter omnia tamen frumenti vitia, dulcis melligo, Aphidum probabiliter productum, cereali malo inducendo minime idonea videtur, si plane inocuam illam pronunciare non liceret. Toties enim unacum oleribus fructibusque horaeis, quos saepissime obducit, sine ullo sumitur detrimento. Analogiae demum si valor omnis non denegandus, homini jam vel ex eo minus nocivus esse debet, quum a plurimis animalibus sine noxa consumatur, apibusque uberrimum largiatur pabulum n).

Praeter adlata haec frumenti vitia, semina quoque diversarum plantarum, quae laetis saepae satis intermixta esse solent, (major praecipue illorum copia, si farri juncta fuerit), venenato utpote principio foeta, morbos varios, imo et ipsam formicationem cerealem haud raro progignunt.

Principem inter illa locum sibi vindicat *Lolium temulentum* o), *Lolium infelix*

m) Lentin's Beobacht. einiger Krankheiten.

n) Bemerkungen der physikalisch-ökonomischen Bienengesellschaft zu Lautern. vom J. 1769. S. 143. et seq.

o) *Camerarius* de lolio temulento. Tub. 1710.

Virg. (Taumellolch, Schwindelhaber), dirissimum sane venenum, *Galeno* p) jam notum.

Semina hujus graminis, si illis secalis triticive admixta sunt, farinae inde paratae saporem conciliant fatuo dulcem, coloremque nigrescentem. Haec farina dum in aqua coquitur, copiosas quoque edit spumas.

Tempestate frigida et humida, in uliginosis praecipue locis, agrisque saepius inundatis, tanta interdum copia crescit, ut ruricolae laetam suam segetem in infelix lolium transmutatum credant.

Lolium hoc summe narcoticis merito adnumeratur venenis; majori enim copia ingesta semina, capitis gravitatem, vertiginem, sensuum obnubilationem, syrigmum, dementiae gradus varios, cataphoram, aphoniam, vomitum, dysphagiam, cardialgiam, debilitatem, animi deliquia, stuporem universalem, tremores et convulsiones in veram paralysin transeuntes, sudores frigidos et mortem apoplecticam q), atque juxta nonnullorum medico-

p) De aliment. Facult. Lib. I. c. 37.

q) J. Fr. Gmelin's Abhandl. von den gifti-

rum assertum ipsam convulsionem cerealem genuinam r) inducit.

Analogas huic toxico vires agnoscit *Bromus secalinus* seu *vitiosus* (Roggentrespe, Gänsehaber) cujus semina triticeis aut secalinis saepius admixta inveniuntur.

Dantur denique plantae, quarum semina frumento crèbro admixta, producendae convulsioni cereali minus idonea videntur, utut venenatis viribus non careant; Suspecta igitur nonnisi dicenda. Nihilominus tamen maximam medicorum attentionem merentur.

His adnumerantur *Raphanus Rhaphanistrum*, ex cujus seminum usu largo *Linnaeus* epidemiam Anno 1746. et 1754. regnantem derivare voluit; *Agrosthema Githago*, *Bromus multiflorus*, *Centaurea Cyanus*, *Convolvulus arvensis*, *Equisetum arvense*, *Lychnis dioica*, *Melampyrum ar-*

gen Gewächsen, welche in Deutschland, und vornehmlich in Schwaben wild wachsen. S. 62.

r) *Kircheisen* Oper. cit. et.
Herrmann Abh. von der Kriebelkrankheit. Cassel. 1775.

vense, *Papaver Rhoeas*, *Thlaspi arvense et Bursa pastoris*, *Vitia sativa* etc. *Nigellae sativae* semina a nonnullis pro noxiis declarata, nec suspecta mihi videntur, quum in Polonia largus illorum fiat usus; vulgatissimum enim sistunt panis condimentum.

Corruptiones spontaneae frumenti nulla ceterum labe infecti, atque farinae, quae in horreis, in doliis et arcis farinariis saepius obveniunt, si humiditati nimiae exponuntur, aut si haec loca non sufficienter repurgentur, puroque non perflentur aëre, organismo humano aeque infensae sunt, ac causae prius expositae.

Panis denique ipse (ex optima etiam farri paratus) diversimode vitiatus, male fermentatus, glutinosus, mucidus, corruptus aut plane jam putrescens, colla proinde etiam nutriente orbus, juxta assertum virorum omni fide dignorum convulsionem cerealem producere valet. Ita *Moscati* in Orphanotrophio Mediolanensi ex hoc fonte enatam vidit raphaniam s). Celeb. Pro-

s) P. Moscati über die kriebelhafte Krankheit im Waisenhause zu Mailand. Wien. 1796.

fessor noster Val. *Hildenbrand* Leopoli inter incarceratos eundem morbum, quidquam tamen aliter modificatum ex panis mucidi ac corrupti usu observavit t). P . nem ejusmodi colicas ac diarrhoeas pessimas inducere, certissimis constat observatis.

Conjecturales a quibusdam medicis agnitas causas, breviter tantum commemorasse sufficit. Sic a nonnullis aëris prava constitutio u), ab aliis vermes v), *Ascaris* nimirum *trichiura* Lin., quae saepe evomitur aut per alvum secedit, (effectum vero potius saburrae praesentis sistit), causis raphaniae adhuc accensentur.

Proxima incomprehensibilis (de quo sermo) morbi, *causa*, illiusque *nosogenia*, crassisimis occultata et circumfusa est tenebris. Neque, quod mirandum, hypotheses quasdam, quibus, modernis praecipue temporibus ingenium humanum ita libenter occupatur, in libris ac monogra-

t) In praelect. suis publicis.

u) *Spielmann* de vegetabilibus venenatis Alsatiae. Argent. 1766.

v) Braue Beiträge zur Geschichte und Kur der Kriebelkrankheit im Jahr 1771. Bremen. 1772.

phiis de hoc morbo conscriptis, invenire licet,

Princeps ac primaria potentiarum raphaniam inducentium (quae fere omnes ex classe venenorum acri narcoticorum sunt) actio, in tubum dirigitur alimentarem. Illarum vi acri ventriculus intestinaque potenter irritantur, quae irritatio per consensum systemati nervoso communicatur, unde in finibus quammaxime nervorum manifestissime contingunt mutationes morbosae; in organis sensilibus, membranis scilicet, sensationes dolorificae variae, in organis irritabilibus, musculis nimirum, contractiones spasticae. Vi tamen illarum narcotica, secundarie narcosis quaedam inducitur, torpore ac stupore diversarum partium, somnolentia, aliisque phenomenis se abunde manifestans.

Toxica vero, quae morbum cerealem inducere consueverunt, narcoticis viribus pollere comprobatur inde, quod eadem phenomena, quae a venenis narcoticis largiori copia adsumtis passim enasci solent, ad constantiores pertineant convulsionis cerealis comites, et quod typo certo absoluto, sub minori morbi saevitia, cessantibus

veneni praecipue mitioris temporariis utplurimum effectibus, sanitas quandoque sponte insequatur. Idem demonstrat magnus ille torpor ac paralytica fere atonia intestinorum, formicationem cerealem plerumque concomitans. Celeberrimi *Moscati* experimenta docuerunt, pueris, alias irritabilissimis, hoc morbo dum detenti fuissent, largissimas saepe stimulornm, diversorum, uti asae foetidae, naptharum, emeticorum etc. doses, sine ullo effectu insecuto exhibitas fuisse.

Irritatio igitur insignis atque simmultanea fere narcosis systematis nervosi, venenis narcotico aeribus inducta, proximam convulsionis cerealis causam sistere videtur.

Notari denique adhuc meretur, non exiquam esse analogiam conditionis nervorum per venena cerealia inductae, cum illa, quam a pressione nervi diuturniori oriri videmus; nam et tunc stupor, torpor, formicationis sensus, atque proclivitas in spasmos observatur.

Terminationes.

Convulsio cerealis terminatur *in sanitatem*, si subjectum bene constitutum, morbus quoad gradum levior, quoad decursum magis chronicus, lente incipiens, debitis auxiliis illico ab initio oppugnatus.

Natura autem sola huic malo devincendo nonnisi in rarissimis casibus sufficit, ubi scilicet veneni minus diri, minorive copia ingesti vires deleteriae sponte fere exstinguuntur. Molimina interim naturae aliqua, utut plerumque insufficientia sint, in acuto morbo et febrili interdum observantur, atque sub trichuridum aut lumbricorum secessu levante x), sub eruptione exanthematis miliaris aut psoriformis, aut abscessuum in superficie cutis, largis tunc plerumque sudoribus diffluentes aegri, pristinam interdum recuperant salutem.

Salivatio ipsa, ast tamen rarius salubre sistit profluvium y).

Ars igitur, prouti in plerisque nevro-

x) C. Sprengel's Pathologie. Leipz. 1797. 3. B. S. 351.

y) *Sprengel* Ibidem.

sibus, etiam hic, imbecillae naturae succurrendo, maximam curationis paginam absolvere debet.

Insequitur autem sanitas pristina, die mox octava, mox decima quarta, mox post plures primum hebdomadas, imo menses, quod ab intensitate et indole mali, a vehementia causae morbum efficientis, a saevitia epidemiae, atque a diversis ignotis adhuc circumstantiis dependet.

Agrypnia rebellis diuturnum mali decursum, facilemque in epilepsiam transitum prodere solet.

Longe libentius, quam in sanitatem, *in alios* convulsio cerealis nititur *morbos*. Et quidem: in recidivam, data recenti occasione vel minima, praecedente utplurimum voracitate magna; in hydropem, in diarrhoeam chronicam, in haemoptoën, in tabem, in mala nervosa diversissima, in syrigmum, amblyopiam, amaurosin, cataractam, vertiginem, dysmnesiam aut perfectam amnesiam, fatuitatem ac amentiam, in tetanum aut epilepsiam difficil-

lime sanandam, apoplexiam, in pareses et paralyses extremitatum.

In mortem abit diversis modis, praecedentibus utplurimum prodromis, sat certo illam praenunciantibus.

Lethi praenunciis certioribus adnumerantur: tetanus, linguae resolutio, paralysis universalis, et gangraena in diversis exorta partibus.

Apoplectica aut convulsiva mors frequentissima esse solet.

Morbus secunda invadens aegrum vice morte vix non semper terminatur.

In quibusdam locis tanta ex hoc morbo observabatur lethalitas, ut in provincia Sologniensi saeviente quadam epidemia inter 120 aegros, vix quinque salvari potuerint.

Cadavera convulsione cereali defunctorum cito putrescunt; inflammationum septicarum vestigia, et maculas gangraenosas in diversis organis, praecipue in ce-

rebro et abdominis visceribus, atque extravasata non raro cruenta aut serosa in cameris cerebri et cavo abdominis offerunt.

Therapia.

Quum omnis raphania ex saburra in primis viis collecta originem suam trahat, hinc etiam (ab initio saltem mali) directissima semper habetur indicatio, illam scilicet aut eliminandi aut innocuam reddendi.

Itaque, sive recens sive jam adultior fuerit morbus, cura semper ab evacuantibus et quidem pro diversitate casus mox ab emeticis, mox a catharticis erit ordienda.

Hunc in scopum optime exhibetur solutio tartari stibiati, si saburra sursum turget, ille enim praeter emesin et concussionem corporis totius salubrem quam inducit, alvum insimul movet, idque quod fors ad intestina jam pervenit, eliminat; atque sales medii, si omnis colluvies heterogenea in cloacam intestinalem descendit.

Horum autem prouti omnium aliorum

medicaminum solito majores, imo saepe maximae requiruntur doses, quum ob ventriculi et intestinorum torporem et atoniam, minores doses nullas incitare valeant reactiones. Ita in quibusdam casibus viginti tartari emetici granis (quem in duabus aquae libris solvit) ad emesin ciendam, atque sesquiuncia salis amari ad alvum subducendam indiguit Cel. *Taube* z).

Calomel, quod pancreas emulgendo, salivationemque abdominalem inducendo, alvum egregie movet, commendationem omnino meretur.

Minus efficax in praxi observabatur radicis Rhei, Jalappae aliorumque drasticorum usus, ex illa fors ratione, quod omnia purgantia validiora serius pedissequam constipationem alvi inducant. Excipienda tamen esset Tinctura Rhei aquosa cum sale parata, quae per epicrasin purgat.

Solo hocce adparatu tota quandoque jam absolvitur cura, atque materia heterogenea ceu causa e primis viis eliminata,

z) *Taube* Oper cit.

morbus unacum causa sua uno quasi ictu amovetur.

Longe saepius vero veneni ingesti vires deleteriae ultra cibalem sese extendunt fistulam ita, ut illa etiam repurgata, secundarii in toto corpore enati effectus persistant. Hoc in casu praemissa evacuatione desiderantur adhuc talia, quae nervis violenter adfectis grato stimulo blandiuntur, erethysmum morbosum sedant, motus inordinatos componunt, sopita et torpida quae fuerint organa ad vividiores reactiones incitant, debilatem corrigunt, et proclivitatem humorum in dissolutionem cohibent.

Omnibus hisce indicationibus satisfacere contendimus remediis nervinis, stimulantibus, tum diffusibilibus, tum tonicis, tum etiam illis, quae acri principio scatent.

Huc prae aliis referenda erunt: radices Angelicae, Calami aromatici, Serpentariae virginianae, Valerianae, Flores Arnicae, Camphora, Castroreum, Moschus, Asa foetida, Acetum ammoniacale, Alcali

volatile, Oleum animale Dipellii, Laudanum, et Naphthae omnes.

Horum vero selectum pro diversitate subjecti aegrotantis, gradus morbi, symptomatis paevalentis magisque urgentis, medicus rationalis dirigere debebit. Sic si encephalon adfectum solito gravius fuerit, flores Arnicae et Camphora, si spasmi et convulsiones vehementes vexant, Oleum Dippelii, Acetum camphoratum a) et Opium; si vermes in consortio, Valeriana, Santonicum, Calomel, Asa foetida; si diarrhoea molestat, Calamus aromaticus, Acida mineralia dulcificata, Opium, et s. p. aliis palmam praeripient.

Excellunt tamen inter omnes stimulos volatiles, Camphora, Alcali volatile, Asa foetida et Valeriana. Moschum non multum collaudat *Taube*. Neque Chinam in convulsione cereali profuisse plerique testantur medici.

Medici Marburgenses remediis sudoriferis et amaris usi fuerunt.

a) Nachricht von der Kriebelkrankheit, welche in Lünneburg im Jahre 1770—1771 herrschte. Zelle, 1771.

Acida tum mineralia, tum vegetabilia commendavit Dan. *Longolius* *).

Ad externa auxilia, quae cum internis in eundem collineare debent scopum, pertinent: balnea tepida (quorum usu artuum dolores multum mitigatos vidit *Taube*) tum simplicia, tum alcalina (juxta methodum *Schützianam*), inunctiones spirituosae, cum spiritu vini camphorato, cum linimento volatili, spiritu aromatico, tinctura Cantharidum, etc. praecipue si myrmecismus et stupor extremitatum gravior molestat. Ipse spiritus Terebinthinae calefactus, artubus magno stupore detentis bono cum effectu inungitur, nisi sensilior ac tenerior cutis illius usum vetaret.

Ubi artuum dolores urgent, fomentationes quoque aromaticae, ex Chamomilla, Matricaria, Lavandula, Salvia, Mentha etc. negligendae non sunt.

Vesicantium usus interdum summe necessarius evadit, tum ad stuporem partium

*) Von der Kornstaupe. 1717.

corrigendum, tum ad revulsionem faciendam, si spasmi pertinaces cruciant b).

Electricitas a multis medicis bono cum effectu adhibebatur c).

Gangraenam extremitatum juxta quorumdam medicorum effatum sublevarunt formentationes ex decocto corticis peruviani, et unguenta saturnina d).

Juxta effatum chirurgi *Noël* autem, nec amputationes extremitatum necrosi correptarum mortem avertere valuerunt *).

Phlebothomia, quae a nonnullis laudatur e), ab aliis iterum vituperatur f), nonnisi ad symptomaticas indicationes explendas, in quibusdam casibus in usum vocari posset; ubi scilicet turgores in capite notabiles apoplexiae, aut in thorace suffocationis metum incutiunt.

b) *Herrmann* Oper. cit.

c) Nachricht von der Kriebelkrank. Zelle. 1771.

d) Ibidem.

*) Mem. de l'académ. des scienc. à Paris. Anno 1710. p. 80.

e) Mem. de l'Academ. de science a Paris. Anno 1748. p. 528.

f) *Taube* Oper. cit.

Ante plures annos medicus quidam, credens venenatum ingestorum principium per chylum ad sanguinem devenire, quin nervosum adgrediatur systema, infusionem medicamentorum in venas proposuit g), de qua methodo oblivioni jam dudum tradita, sentiendum quid sit, quivis facile dijudicare valebit.

Regimen denique diaeteticum requiritur quam exactissimum, consistens in aëre puro, debita oxygenii copia foeto, in victu exquisito, eupepto, praecipue animali, aut et vegetabili sed recenti, in potu multo diluente, emolliente, mucilaginoso, uti est Ptisana Hippocr., decoctum rad. Salep, Seminum Lini tenuius etc. aut vinoso (si debilitas major), atque in corporis exercitio moderato, si morbi gradus illud admittit.

Prophylaxis.

Ad praecavendum huncce atrocissi-

g) Bemerkungen eines Arztes über die Kriebelkrankheit, und ein Vorschlag ihrer Heilung. In Weigel's ital. med. chirurg. Bibliothek. Leipzig. 1797. 3. B. 2 St.

mum morbum, debita prophylaxis, quae contendit omnes sedulo evitare ac amovere causas convulsioni cereali progignendae pares, maximi omnino est momenti.

Haec autem causarum evitatio et amotio nonnisi per magistratum, rei cibariae invigilantem praestari potest.

Generatio secalis cornuti, rubiginis, ustilaginis, plantarumque inutilium ac nocuarum, accendio stipularum, aratione repetita, atque cultura agri diligentiori multum fors praepediretur.

Frumentum nonnisi bene exsiccatum in horreis spatiosis aërique perviis adservetur, atque ventillatione frequentiori a corruptela arceatur. Maximum enim (si haec negliguntur) damnum frumento infert *curculio granarius.*

A heterogeneis seminibus, clavis secalinis, corruptisque rubigine aut ustilagine granis, probe (si fieri potest) repurgetur frumentum, antequam molinae et panificio tradatur.

Repurgari autem potest vel per cribra, vel per elutionem; clavi enim secalini et grana rubiginosa superficiei aquae plerumque innatant.

Larga autem copia heterogeneorum nocivorum inquinatum frumentum, annihiletur, et nonnisi sub maxima annonae charitate, farina inde confecta bene exsiccetur, torreatur, genuinaeque farris magna copia commixta solum panificio tradatur. Idem valet etiam de farina ex bono quidem frumento parata, in arcis autem et doliis humiditati expositis diu adservata et corrupta.

Quae sabulo, calce exstincta, creta, gypso etc. adulterata fuerit farina, qua inutilis summeque noxia abolenda.

Invigilandum denique ipsis pistoribus, ne panem male fermentatum, glutinosum, non sufficienter pistum aut plane mucidum aliterve corruptum divendant.

Illi, qui uberiorem hujus objecti politiam medicam spectantis illustrationem desiderant, adeant classicum *Petri Frankii*

opus h), maxima sane commendatione dignum.

h) J. Pet. Frank. System einer vollständigen medizinischen Polizei.

Theses defendendae.

1.

Doctrina Cullenii de compositione febriume singulis paroxysmis firmissimo insistit talo.

2.

Non datur sanitas absoluta.

3.

Principium Hahnemanni homoeopathicum in praxi non fundatur.

4.

Entozoa hominum prouti et reliquorum animalium per generationem aequivocam nascuntur.

5.

Vitia organica, qua causae morborum periodice invadentium considerata, disponens nonnisi sistunt momentum.

6.

Febris mox est cachecticis periculosa mox salubris.

7.

Epidemiarum annuarum diversitas ex diversa hominum diathesi optime derivatur.

8.

Ipsemet medicus vix non unquam remedium.

9.

Remedia antiphlogistica vere cardiaca esse possunt.

10.

Miasmata per membranas mucosas in organismum suscipiuntur.

11.

Cutis functio laesa uberrimus morborum fons.

12.

Cutis functio illi tubi alimentaris summe analoga.

13.

Humores organici seorsim spectati suam agunt vitam.

14.

Organismus animalis magnam pabuli partem ex aëre trahit.

15.

Medicina generi humano necessaria.